



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Rvperti Abbatis Monasterii Tuitiensis, ordinis sancti
Benedicti, Theologi antiqui ac plane clarissimi, in Cantica
Canticorum de incarnatione Domini commentario[rum],
libri VII**

Rupertus <Tuitensis>

[Köln], 1527

VD16 B 3703

Pessulum ostij mei aperui dilecto meo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34445

RVP. IN CAN. CANT. CA. V.

quæ per digitorum distinctionem solet intelligi.
¶ Pessulum ostij mei aperui dilecto meo.
¶ Pessulum, inquam, ostij mei, id est, clausuram oris mei. Quid namque per pessulum, nisi silentij signatur firmamentum. Pessulum ergo ostij dilecto meo aperitur, cum indictum ori silentium propter Christum resolvitur, ut audientes ædificentur. **¶** Et quæ pulcher, quæ rationalis & disciplinatus ordo loquendi. Prius myrrha stillat de manibus, & digitum myrrha probatissima pleni monstrantur, ac deinde pessulus ostij dilecto aperitur, id est, prius vita laudabilis in exemplum præparatur, & deinde doctrina fidem quærens audientium palam profertur. Hinc de ipso dilecto scriptum est, quia cepit facere & docere. Non dictum est prius docere, & deinde facere; sed prius facere, & deinde docere.

Actu. I

¶ Et ille declinauerat atque transierat.
¶ Ego, inquit, pessulum ostij mei dilecto meo aperui, & ille declinauerat atque transierat, id est, ego os meum aperui in doctrina, ut audientibus facerem notitiam dilecti: sed ille iam nobiscum non erat, iam caelo receptus, huc redire ulterius non habebat. Ergo ne o dilecta, tu istud nesciebas? Nonne prius quam modo iam dicto pessulum ostij tui aperuisses, uideras, quod in caelum ascendisset: & sciebas quod ultra ad commendandum mortalibus rediturus non esset? Sciebam, ait, & bene sciebam, Sed quid?
¶ Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est.